



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Concilivm Saltzbrgense Pro Recipiendis Lvgdvnensis Synodi
constitutionibus aliisque de causis congregatum anno Domini MCCLXXIV.
tempore Gregorii papae X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

cuius tenor est talis: *Esti impignorationes, quas vulgaris elocutio represalias nominat, in quibus alius pro alio pragrauat, tamquam graues legibus & equitati naturali contraria, ciuili sunt constitutione prohibita; ut tamen earum prohibitio in personis ecclesiasticis tanto amplius timeatur, quanto in illis specialius inibetur eas concedi contra personas predictas, seu bona ipsarum, aut quantumcumque generaliter pretertextu cuiusuis consuetudinis, quam potius reputamus abusum, forte concessas, ad illas extendi presenti decreto districtius inibemus. Illi autem qui contra fecerint, aduersus personas easdem impignorationes seu represalias concedendo vel extendendo ad eas, nec presumptionem huiusmodi reuocauerint a concessionis vel extensionis tempore infra mensem, si persona singulares fuerint, sententiam excommunicationis incurrant: si vero vniuersitas, ecclesiastico subiaceat interdicto. Ex hac tamen salubri constitutione modica prouenit utilitas, vel quia rite post Concilium in prouinciis publicata non extitit, vel quia excommunicationis precipitum a malis hominibus non timetur. Item pro subsidio terre sancte imposita sunt in eodem Concilio omnibus ecclesiis & monasteriis, non tamen xenodochiis nec orphanotrophiis, solutio decimarum omnium prouentuum ecclesiasticorum per sex annos continuos idem Concilium subsequentes. Quae decima, quamuis studiose exacta fuerit & recepta, non tamen est euidentis quae utilitas terre sancte exinde fuerit procurata. Haec sunt fragmenta actorum synodalium quae apud scriptores huius temporis inuenire potui. Tu lector iisdem utere ac fruiere.*

• CONCILIVM SALTZBURGENSE
PRO RECIPIENDIS LVGDVNENSIS SYNODI
constitutionibus aliisque de causis congregatum anno
Domini MCCLXXIV. tempore Gregorii papae X.

TITVLI CAPITVLORVM.

- | | |
|----------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------|
| I. De capitulis prouincialibus abbatum ac aliorum praelatorum. | IX. De ordinatione clericorum. |
| II. De reuocatione monachorum fugitiuorum. | X. De presentatione vicariorum. |
| III. De praua consuetudine abbatum erga monachos. | XI. De tonsura & veste clericorum. |
| IV. De dignitatibus abbatum. | XII. De tabernis. |
| V. De correctionibus capitulorum prouincialium. | XIII. De sacerdote suspenso ab officio. |
| VI. De indulgentiis & remissionibus. | XIV. De captiuitate monachorum vel clericorum. |
| VII. De pluribus beneficiis clericorum. | XV. De conuersis vagabundis. |
| VIII. De residentia plebanorum. | XVI. De vagis scholaribus. |
| | XVII. De episcopis puerorum. |
| | XVIII. De sententiis excommunicationis a nobis traditis. |

ANNO CHRISTI 1274.

- XIX. De ueneratione patrum sue patronorum.
- XX. De confessione religiosorum.
- XXI. De correctione religiosorum, aut aliorum monachorum.
- XXII. De captiuatione episcoporum seu monachorum.
- XXIII. Ne clerici sumant ecclesiastica beneficia de manibus laicorum.
- XXIV. De aduocatis ecclesiarum.

PRÆFATIO.

Ad honorem & gloriam sponsæ Christi, & fidei Christianæ. Nos Dei gratia * F. sanctæ Saltzburgerensis ecclesiæ archiepiscopus, apostolicæ sedis legatus, Leo, Petrus, Bruno, Vvernhardus, & Ioannes Ratisonensis, Patuuiensis, Brixinensis, Secouvensis, & Chimensis ecclesiarum episcopi, in prouinciali hoc sancto Concilio congregati, de consilio venerabilium prælatorum Saltzburgerensis prouinciæ, qui præsentem interfunt Concilio, absentium etiam fratrum tam episcoporum quam aliorum prælatorum accedente consensu, diffiniendo præcipimus, ut episcopi, abbates, archidiaconi & alii ecclesiarum prælati, statuta sacri generalis Concilii celebrati proxime in Lugduno, in ecclesiis & subditis suis clericis & laicis, secundum quod eadem statuta istis & illis conueniunt, & quantum eos tangunt, sic solcite & frequenter studeant publicare, ut ipsorum * pronuntiantium & subditorum memoriæ & obseruantia imprimantur. Sed & constitutiones venerandæ memoriæ quondam domini Guidonis, tituli sancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, in prouincia Saltzburgerensi apostolicæ sedis legati; quæ licet ecclesiarum utilitatem contineant, & salutem suadeant animarum, in dissuetudinem transierunt, cum prædicti generalis Concilii ordinationibus & statutis, nec non & his quæ pro utilitate locorum & temporum in hoc prouinciali Concilio apponentur a nobis, ad notitiam subditorum taliter deducantur, ne quemquam totius prouinciæ probabilis error ac ignorantia valeat excusare.

Statuta sacri Concilii Lugdunensis publicentur.

Item constitutiones domini Guidonis cardinalis sancti Laurentii in Lucina.

Item prouincialis huius Concilii.

CAPITVLA.

I.

Cum abbates ordinis sancti Benedicti Saltzburgerensis prouinciæ capitula sua prouincialia lon-

Eccc iij

Abbates sancti Benedicti celebrent capitula prouincialia.

gis retro temporibus non curauerint celebrare, propter quod circa regulares obseruantias idem ordo non mediocriter est collapsus, nos eisdem abbatibus nostræ prouinciæ firmiter & districtè præcipiendo mandamus, vt prouinciale capitulum suum infra festum resurrectionis venturum proximo celebrent, iuxta formam a sacris Canonibus eis datam. In quo de moribus corrigendis, tam in seipsis quam in suis subditis, tractent & ordinent diligenter: alioquin nos in proximo prouinciali Concilio ad reformationem prædicti ordinis, quantum de iure possumus, procedemus.

II.

Exnunc tamen eisdem abbatibus præcipimus & mandamus, vt monachos fugitiuos in sæculo diuagantes reuocari procurent. Et quod in singulis monasteriis carcer fiat, in quo incorrigibiles seu alias delinquentes enormiter monachi, prout culpæ qualitas exigit, recludantur. Sed nec licitum sit abbatibus, cum nec vnquam licuerit, monachos ad ordinem strictiorem transeuntes minime absolueri ab obedientia, quæ monachorum ossibus inseparabiliter est affixa.

Monachos fugitiuos reuocent.

Carceres construant.

Monachos ad strictiorem ordinem transeuntes ab obedientia non absoluant.

III.

Illam & prauam abbatum consuetudinem reprobamus, qua abbates pro excessibus leuibus, & nonnunquam simulatis offensis passim, & indifferenter de monasteriis ad monasteria monachos suos mittunt, cum delictum potius illic puniri & mori debeat vbi committitur & patrat, cum nec tales missi ad alia monasteria peccata sua lu-

Pro leuibus offensis ad alia monasteria abbates non mittant.

ANNO
CHRISTI
1274.

geant, sed vagentur potius dissolute. Quod si necessitas exigit vt monachus ad monasterium aliud transmittatur, hoc abbati non liceat, nisi causa missionis & tempus reditus per loci episcopum ordinentur.

Si necessitas trans-
missionem
exigat, cau-
sa eiusdem
& tempus
reditus ab
episcopo
ordinetur.

IV.

Sunt insuper quidam abbates, qui indulgentiis & remissionibus faciendis in mitris, annulis, sedibus* defferendis, nec non in benedictione sacramentorum vestium, & ecclesiasticorum vasorum, & ceteris quæ ordinem & officium ecclesiæ requirunt, sibi pontificum potestates vsurpant: his districte præcipiendo mandamus, vt de cetero talia non attemptent, aut in proximo prouinciali Concilio fidem nobis faciant priuilegiorum, quibus sibi talem vendicant potestatem.

Vasa sacra
& similia
non benedi-
cant, nisi
habeant pri-
uilegia pon-
tificia, de
quibus si-
dem faciât.

V.

Hæc eadem in canonicis regularibus, quantum diuersitas religionum sustinet, volumus obseruari; salua dignitate & priuilegio Saltzburgensis capituli, cuius ordinationem nos archiepiscopus nobis specialiter reseruamus. Ceterum in aliis quæ ad morum correctionem & obseruantias pertinent, regulares sibi in prouinciali capitulo sic prouideant, ne nos ipsis in hoc deficientibus prouidere cogamur; maxime in moderandis eorum euectionibus, & quibusdam vanitatibus, quæ ad pompam labentis sæculi pertinent, refrenandis in ipsis.

Eadem ob-
seruentur a
canonicis
regulari-
bus.

VI.

Ad hæc cum prædecessores nostri bonæ memoriæ pontifices diuersarum religionum fratribus in confessionibus audiendis, remissionibus & in-

dulgentiis largiendis, & aliis pluribus faciendis, quæ ad sacerdotalem & pontificale ministerium pertinent, potestatem suam duxerint committendam, quarum religionum nonnullæ in proximo generali Concilio sint sublatae, quorum & fratrum aliqui potestate sibi tradita sunt abusi, nos auctoritate præsentis Concilii, omnium auctoritatem, potestatem, siue licentiam a nobis vel a nostris prædecessoribus cuicumque religioni vel ordini aut fratribus ordinum quorumcumque traditam, in præmissis, aut aliquo præmissorum, reuocamus in totum. Si quis autem ex vobis nouam super his commissionem decreuit facere, in hoc illud quod saluti animarum expedit, & alieno iuri non detrahat, arbitretur. Præterea cum prædicti nostri antecessores clericorum episcoporum remissiones & indulgentias in diocesibus suis datas diuersis locis, ordinibus & personis ratas habere consueverint indistincte, ac per hoc formam modosque correctionis debitæ, sicut experimento didicimus, in locis pluribus * enumerentur; præsentis * Synodi omnes & singulas ratihabitiones tam nostras, quam prædecessorum nostrorum in huiusmodi indulgentiis manere volumus in suspenso, & ne quis eis vtatur sub anathemate prohibemus, donec episcopus loci ordinarius plene discutiat, quas & in quibus locis ratas habere conueniat, aut quas magis expediat reuocari: & hoc maxime in personis quæstuariorum volumus obseruari, qui per huiusmodi indulgentias indiscretas ad contemptum clauium & errorem longe plures præcipitant, quam

Reuocatur concessiones datæ religiosis de audiendis confessionibus & largiendis indulgentiis.

Quæstuarii nullo modo recipiatur.

ANNO
CHRIST.
1174.

* forte
necesse
* forte
Synodi
adhibe-
tate

eri-

ANNO
 CHRISTI
 1574.

erigant ad salutem. Hos & nullo modo recipi volumus, vel admitti, nisi cum diœcesani episcopi nuntio literatorio destinato.

VII.

Cum in prouincia Saltzburgenſi diuerſi clerici ſæculares, non ponentes terminum auaritiæ, nec ſalutem propriam prætendentes, onerare ſe pluribus beneficiis eccleſiaſticis non formident, nos, qui aliorū indigentis & ſaluti occurrere cupimus, & eccleſiarum neceſſitatibus prouidere, auctoritate præſentis Concilii firmiter & diſtricte præcipimus, vt ſinguli plura beneficia poſſidentes, aut recepto vltimo ſint contenti, aut in ipſo proximo prouinciali Concilio ſeu episcopali Synodo, quem

Pluralitas beneficiorū inhiberetur.

Niſi adſint diſpenſationes eorum, qui de iure diſpenſare poſſunt.

terminum ipſis peremptorium aſſignamus, legitimis documentis edoceant, ſecum eſſe per eum, qui de iure hoc facere potuerit, diſpenſatum, alioquin nos tam formam Canonum circa hoc traditam, quam ſtatutum bonæ memoriæ domini Guidonis cardinalis, quondam in prouincia noſtra apoſtolicæ ſedis legati, prouidere curabimus beneficiis & perſonis.

VIII.

Ceterum cum per mercenarios temporales, quos eccleſiarum rectores & plebani in eccleſiis parochialibus inſtituunt & deſtituunt nonnunquam interpoſito turpi pacto, animarum ſalus, & eccleſiarum vtilitas damnabiliter negligantur; nos omnes & ſingulos clericos in Saltzburgenſi prouincia curam animarum habentes huius auctoritate Concilii ad perſonalem in beneficiis residen-

Clerici animarum curam habentes in parochiis reſideant.

tiam reuocamus, terminum eis peremptorium festum purificationis beatæ Mariæ virginis venturum proximo assignantes, omnibus & singulis licentiis pro dissimulanda eorum absentia ipsis datis penitus reuocatis; salua nobis auctoritate dandi licentiam iis quibus visum fuerit expedire. Quod si præmissa contempserint aut neglexerint adimplere, & tunc ipsos a perceptione fructuum & administratione temporalium suspendimus, & volumus remanere suspensos: quod si temere se ingesserint, priuati sint beneficiis ipso iure: fructus autem per locorum archidiaconos in utilitatem illius ecclesiæ conuertantur; salua vicarii sufficienti & debita portione.

IX.

Rectores
ecclesiarum
ordines re-
quisitos re-
cipiant.

Eisdem insuper ecclesiarum rectoribus præcipimus, vt ad ordinem quem beneficii sui cura requirit se faciant ordinari infra tempus a Canone institutum; alioquin quod de non residentibus est prædictum, circa fructus non percipiendos & priuationem beneficii intelligi volumus in eisdem.

X.

In beneficiis vero, quibus licet per vicarios deservire, volumus sic seruari, vt viri idonei loci episcopo præsententur, qui per se vel per alios ipsos in huiusmodi vicariis perpetuet, & sufficientem suis necessitatibus de ecclesiarum redditibus eis constituat portionem: alioquin singuli episcopi per suas diceceses elapso trimestri tempore providere curabunt.

XI.

Clerici co-
mam non
nutriant.

Edicto perpetuo prohibemus, ne clerici co-

ANNO CHRISTI 1274

mam nutriant, maxime sacerdotes qui taliter tondeantur, vt pateant eis aures. Ceteri inferioris ordinis clerici in tonsura non multum discrepent ab eisdem, coronam & desuper congruentem habeant. Vestes non deferant nisi claufas, quas omnimodo prohibemus a latere aperiri. Argentatis aut quocumque metallo ordinatis cingulis, fibulis, nodulis, in manicis & capitiiis non vtantur, sed nec procedant in publicum * circumcincti veste suprema. In pileis suffurraturas non habeant, nisi forte de nigro cenlato, vel panno, aut nigra pelle * aguna. Caudata pilea districtissime prohibemus.

Vestes claufas deferat. Quales esse debeant.

* forte significum-cincti

* forte aguna.

XII.

Clericus non viator in sacris ordinibus constitutus, aut monachus, vel canonicus regularis, si tabernam intrauerit sine causa euidenti rationabili & honesta, ibique bibens aut comedens, aut in vicino loco seruienti tabernæ, vel alias publico, aliquantulam moram traxerit, ab officio sit suspensus, donec vnum diem in pane & aqua ieiunet; si ibidem luserit ad aleas vel taxillos, ab officio sit suspensus, donec duos dies in pane & aqua ieiunet. Sed in his tertio deprehensus consuetudinem non amittat, aut si suspensus ingesserit se diuinis, per sententiam episcopi priuetur beneficio, si quod habet; si non habet, pro episcopi arbitrio puniatur.

Clerici non viatores tabernas ne ingrediantur.

XIII.

Sacerdos, qui excommunicatione aut officii suspensione ligatus animo indurato præsumperit

Clericus excommunicatus sacra profa-

Concil. Tom. 28.

Ffff ij

nans carce-
ri mancipetur.

profanare diuina, episcopali carceri mancipetur, vsque ad expiationem tanti criminis puniendus; & hoc idem in clerico, seu religioso, in furto vel alias in enormi crimine deprehenso volumus obseruari.

ANNO
GRIGORII
1174.

XIV.

Clericum
rationabili-
ter captum
fracto car-
cere libe-
rans.

Qui clericum vel monachum pro excessibus suis a praelato suo rationabiliter captiuatum præsumpserit fracto carcere liberare, ipso facto sententia excommunicationis, quam exnunc in ipsum proferimus, sit ligatus: & si possibile fuerit, qui non liberandum liberat, pœnam patiatur, & carcerem, & in locum subeat iniuste liberati.

XV.

Praelati ne-
minem ton-
deant aut
benedicant,
nisi appro-
batam pro-
fiteatur re-
gulam.

Nullus deinceps praelatus, nullus plebanus, nullus alius, cuiuscumque ordinis vel religionis existat, masculum aut feminam tonsurare, aut benedicere sibi vestes præsumat, nisi certam de approbatis profiteatur regulam, & se destinet certo loco: eos vero vel eas, qui vel quæ contrarium fecerint, a locorum rectoribus vel plebanis per censuram ecclesiasticam, monitione præmissa, compelli præcipimus; aut certæ religioni se conferant, aut religionis vestem, quæ vagandi eis præstet materiam & opportunitatem accommodat delinquendi, abiciant; ne irregularem vitam religiosa vestis obumbret. Hoc statutum tantum extendi volumus in futurum.

XVI.

Contra va-
gos schola-
res.

Sub vagorum scholarium nomine quidam per Saltzburgensem prouinciam discurrentes mona-

* Logo
piscop
tus pue-
rozum

ANNO
 CHRISTI
 174.

steriis & ecclesiis se exhibent adeo onerosos, quod per eorum importunitatis audaciam nonnunquam clerici illud eis erogare coguntur, de quo fuit necessitatibus pauperum prouidendum: denegantibus sibi suffragia (per quæ occasionem nutriunt malæ vitæ) calumnias inferunt; conferentibus sibi quod postulant vituperium existunt: reuerentiæ clericali utique multum detrahitur, dum blasphemia huiusmodi se personas ecclesiasticas profitentur. Ut autem viri huiusmodi per subtractionem nostri & nobis subditorum suffragii respiscere compellantur, auctoritate sacri Concilii prohibemus, ne quis prælatorum, plebanorum, aut vicariorum, seu quæcumque persona ecclesiastica post spatium duorum mensium, infra quem terminum de ordinata sibi vita prouideant, ipsis aliquid beneficii vel iuuaminis erogare præsumat. Qui contrarium fecerit, tamdiu ab ingressu ecclesiæ sit suspensus, donec in subsidium terræ sanctæ vsualis monetæ conferat vnam libram. Hanc tamen constitutionem extendi volumus ad pauperes aduenas, & pro necessitatibus suis publice mendicantes.

XVII.

Ad hæc quidam ludi noxii, quos vulgaris elocutio * Eptus puor. appellat, in quibusdam ecclesiis exercentes adeo insolenter, quod nonnunquam enormes culpæ & damna grauia subsequuntur. Ex ipsis hos ludos in ecclesiis & a personis ecclesiasticis de cetero fieri prohibemus, nisi forte parui sexdecim annorum & infra fuerint, qui hu-

Ludi quidam in ecclesia prohibentur.

* Loco episcopus puerorum

iusmodi ludos exercent, quibus alii seniores ipsis nullatenus se misceant, aut intersint.

ANNO CHRISTI 1174

XVIII.

Sententias cenfurarū, quas vnus iuste protulerit, ceteri quoque publicent.

Sententias excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, quas vnus ex nobis iuste protulerit, ceteri per ciuitates suas publicabunt, & a suis facient subditis vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari: sic vt ad puniendum scelera peruersorum celeritate communi nobis inuicem succurramus.

XIX.

Festa sancti Ruperti, Virgilit, & Augustini celebrentur.

Patres nostros venerabiles & patronos venerabiliter honorandos B. S. Rupertum, Virgilium, & Augustinum, honoribus debitis, nostræ humilitatis obsequiis venerantes, dies festorum suorum celebres esse volumus, & sub pœna excommunicationis præcipimus in eisdem diebus ab omni feruili opere abstineri.

XX.

Religiosus extra professionem suam confessorē non eligat.

Nulli religioso liceat extra suam professionem vel ordinem sibi eligere confessorē, nisi de prælati sui licentia speciali.

XXI.

Pœnæ religiosorum qui legitime correcti inuocant brachium sæculare.

Si aduersus correctionem superioris sui monachus aut religiosus quicumque sæcularis personæ adiutorium aut potentiam duxerit inuocandam, si huiusmodi inuocatione vsus fuerit, carcerali custodia tanto tempore concludatur, donec præsumptionem huiusmodi pro superioris arbitrio pœna sufficiens recompenset. Et vt aliis talia præsumendi pœnæ duritia sit terrori, præsumptionem huius-

ANNO
CHRISTI
1274

modi nullo vnquam tempore in eadem ecclesia seu monasterio cuiusquam dignitatis vel administrationis officium consequatur; alias etiam pro superioris arbitrio legitime puniendus.

XXII.

Statutum venerandæ memoriæ domini Guidonis, quondam tituli sancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, quondam in nostra prouincia apostolicæ sedis legati, quo salubriter est prouisum, vt in diœcesi, in qua contingit prælatum aliquem aut canonicum cathedralis ecclesiæ captiuari, cessetur generaliter a diuinis, pro necessitate corporis, ad nos archiepiscopum & episcopos extendentes, præsentem constituimus edicto, vt si (quod absit) archiepiscopum vel episcopum ex nobis captiuari contingat, aut ecclesias nostras vel alterius nostrum sic hostiliter & iniuriose inuadi, vt de subuersione status ipsius probabiliter timeatur, extunc per totam prouinciam Saltzburgensem cessetur generaliter a diuinis, postquam de captiuitate aut persecutione huiusmodi per prouinciam innotuerit manifeste. Personis tamen illustribus decoratis principum dignitate pro ipsorum reuerentia deferentes, præsens edictum ad eos & terras eorum extendi volumus, nisi prius admoniti cessare contempserint ab offensis huiusmodi, nec emendare voluerint infra vnus mensis spatium quod fecerunt.

Guidonis
cardinalis
statutum
obseruetur.

* f. tem-
poris,

XXIII.

Aduersus præsumptionem damnabilem clericorum, prælaturas aut parochiales ecclesias teme-

Contra re-
cipientes
prælaturam
aut eccle-
sias de ma-
nu laicorû.

ritate propria occupantium, aut recipientium de manibus laicorum, antequam per dicecesanum loci, vel superiorem eius, si ipse facere quod tenetur neglexerit, fuerit inuestitus, auctoritate præsentis Concilii iure, si quod habet in beneficio eodem, sit ipso iure priuatus; & nihilo minus ipso facto sententiam excommunicationis incurrat: in qua si per annum persistit contumaciter animo indurato, ab omni ecclesiastico beneficio removeatur, tamquam inhabilis & indignus nunquam de cetero ad aliquod aliud beneficium admittendus. Hanc & constitutionem incidere voluimus, qui iam in præmissis delinquere præsumserunt.

XXIV.

Præsentis auctoritate Concilii ecclesiarum aduocatos, qui ecclesias onerant, ultra consuetam & debitam seruitutem, ac per hoc ecclesiarum libertates violant & infringunt, publice commonemus, vt ab indebitis vexationibus ecclesiarum & bonis ipsarum abstineant, & iuris debitis sint contenti; alioquin aduersus eorum iniuriam mediante iustitia refrenandum, ad concessa nobis iuris beneficia recurremus.

NOTA.

^a *Concilium.*] Henricus Canisius, qui primus hanc cum aliis quibusdam Synodis a tenebris eruit, initio huius ad lectorem ita præfatur: *Admodum reuerendus & clarissimus dominus dominus Georgius Lanterius ad diua Virginis Monachii prepositus, &c. pro ea qua præditus est recondita eruditione, omnisque antiquitatis scientia, eruit e tenebris manuscripti codicis hæc Concilia digna luce. Illi ergo, amice lector, tu pariter mecum acceptum refer, & gratias habe, quod habes hæc, qua scio, veneraberis, videbisque quasi præsens faciem aliquam Germanicæ ecclesiæ illorum temporum. Nomen archiepiscopi Saltzburgenfis non exprimitur in primo Concilio, sed litera F. innuitur: Ego audaciter Fridericum*

ANNO
CHRISTI
1274.

ricum interpretor; qui, teste Eberhardo Altabensi, obiit anno 1284. De tempore Concilii Saltzburgenfis, quod apographum nostrum refert ad annum 1274. non contemnenda difficultas oboritur. Nam, testibus Eberhardo Altabensi & Sterone, celebratum est generale Concilium eodem anno 1274. apud Lugdunum, cuius statuta ut seruentur precipit hoc nostrum Saltzburgense Concilium in initio. Neesse ergo est vel † eodem anno Lugdunense & Saltzburgense Concilia celebrata, vel in numero mendum esse. Accedit quod Henricus Stero editione Francofordiensi hæc habeat: Anno 1281. a Friderico Saltzburgenfi archiepiscopo apud Saltzburgam Concilium celebratur. *Quæ verba numerata omnia dat etiam noster Eberhardus Altabensis: in cuius editione retinimus, propter sequentia & antecedentia, numerum anni 1281. licet manuscriptus codex Eberhardi habuerit (ut notauimus ibi in margine) annum 1286. sine dubio vitiose; cum Fridericus Saltzburgenfis archiepiscopus obierit anno 1284. An vero id ipsum nostrum sit Concilium Saltzburgense, cui adscriptus 1274. annus, omnino diserte; nescio: sed non puto. Bonum vero factum censui, lectorem admoneri. Quare autem potius duo diuersa hæc prouincialia Concilia fuisse putem, vnum anno 1274. alterum 1281. celebratum, mouent me verba huius nostri Concilii hæc: Alioquin nos in proximo prouinciali Concilio ad reformationem prædicti ordinis, quantum de iure possumus, procedemus. Vbi vides in hoc Concilio promitti quasi proximum aliud. Et paulo post ibidem: In proximo prouinciali Concilio fidem nobis faciant priuilegiarum. Et iterum: In ipso proximo prouinciali Concilio, seu episcopali Synodo, quem terminum ipsis peremptorium assignamus, legitimis documentis edoceant. Imo singulis annis tum Synodus prouincialis cogebatur: quod colligo ex Viennensis Concilii his verbis: Singulis annis in Synodo illi qui clericos capiunt, &c. excommunicati denuntientur. Imo anno quarto Pipini regis in Concilio apud palatium Vernis statutum Canone quarto, ut bis in anno Synodus celebraretur. Hæc Canisius.*

† Quod mihi probabile, si singulis annis tunc celebrata Concilia, qui mos e Canonibus probus & notus.

V I T A

ANNO
CHRISTI
1276.

INNOCENTII PAPÆ V.

INNOCENTIVS quintus, Tarantasia, quod est municipium non procul a Maurienna valle in Alpibus situm, oriundus, ante pontificatum Petrus nominatus, ordinis sancti Dominici religiosus, propter scientiam & intelligentiam sacrarum literarum (erat enim doctor theologus, & super libros quatuor sententiarum & sancti Pauli epistolas commentarium scripserat) Ostiensis episcopus factus, ad extremum Aretii per cardinales secundum legem a Gregorio X. latam in conclaue ingressos in ponti-

Concil. Tom. 28.

Gggg